



MARTIUS

Die 11 Martii

S. Sophronii, episcopi hierosolymitani

Ant. ad introitum

Io 17, 3

Haec est vita æterna: ut cognoscant te, solum verum Deum, et quem misisti, Iesum Christum.

Collecta

Deus, qui beatum Sophronium episcopum hierosolymitanum, invictum veræ fidei propugnatorem effecisti, da nobis, quos ex diversitate gentium in confessione tui nominis adunasti, et velle et posse quae praecipis, ut una sit fides mentium et pietas actionum.

Per Dominum.

LECTIO PRIOR

«Caritas : vinculum perfectionis»

Lectio Epistolæ beati Pauli apóstoli ad Colossenses Col 3, 9-15b
Fratres :

Nolite mentiri invicem, qui exuistis vos veterem hominem cum actibus eius, et induistis novum, eum qui renovatur in agnitionem secundum imaginem eius qui creavit eum, ubi non est Graecus et Iudeus, circumcisio et prepucium, barbarus, Scytha, servus, liber, sed omnia et in omnibus Christus.

Induite vos sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, mansuetudinem, pa-

tiéntiam, supportantes invicem et donantes vobis ipsis si quis adversus aliquem habet querelam; sicut et Dominus donavit vobis ita et vos; super omnia autem haec caritatem, quod est vinculum perfectionis.

Et pax Christi dominetur in cordibus vestris, ad quam et vocati estis in uno corpore.

Verbum Domini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 116, 1. 2 (R. Mc 16, 15)

R. Euntas in mundum universum, praedicate Evangelium.

1 Laudate Domini, omnes gentes,
collaudate eum, omnes populi. R.

2 Quoniam confirmata est super nos misericordia eius,
et veritas Domini manet in æternum. R.

ALLELUIA

Io 15, 15 b

(R. Alleluia) V. Vos dixi amicos, dicit Dominus, quia omnia quae audivi a Patre meo, nota feci vobis.
(R. Alleluia.)

EVANGELIUM

«Ut sint unum sicut nos.»

† Lectio sancti Evangelii secundum Ioannem 17, 1 a, 3-11.

In illo tempore :

Iesus, sublevatis oculis suis in caelum, dixit :

«Haec est vita æterna ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum. Ego te glorificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam; et nunc glorifica me tu, Pater, apud temetipsum gloria quam habebam prius quam mundus esset, apud te.

Manifestávi Nomen tuum homínibus quos dedísti mihi de mundo. Tui erant et mihi eos dedisti, et sermónen tuum servavérunt. Nunc cognovérunt quia ómnia quæ dedísti mihi, abs te sunt, quia verba quæ dedísti mihi dedi eis, et ipsi accepérunt et cognovérunt vere quia a te exívi, et credidérunt quia tu me misisti.

Ego pro eis rogo; non pro mundo rogo sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt, et mea ómnia tua sunt et tua mea; et glorificátus sum in eis. Et iam non sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te vénio. Pater sancte, serva eos in Nómine tuo quod dedísti mihi, ut sint unum sicut nos ».

Verbum Dómini.

Super oblata

Múnera hæc, quaésumus, Dómine, intercedénte beato So- phrónio, tibi obláta sanctifica, per quæ unitátis et pacis dona nobis concédere dignérís.

Per Christum.

Ant. ad communionem

cf I Cor 10,17

Unus panis et unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane et de uno cálice participámus.

Post communionem

Hæc tua, Dómine, sumpta commúnio
sicut fidélium in te uniónen præsignat,
sic in Ecclésia tua unitatis operétur efféctum.

Per Christum.